DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1227

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS I. MARTII.

M. FRANCISCO LE VIGNON, Doctore Medico & Scholarum Censore, Præside.

Vtrùm extremis Morbis sola Diæta?

EXORTEM culpæ Medicum omnis tulit ætas, & feret. Qui Medici nomen quærit, non annos, aut stolidæ plebeculæ vocem expectet, sed scientiam, & opus stabili jungat commercio. Is nullatenùs peccat, & implet omnes officij sui partes, qui licèt aliquando non sanet, facit tamen appositè ad sanandum. Illi delinquunt graviter, qui revocare Medicinam ad scientiam, & scientiam vicissim ad Medicinam nesciunt, aut negligunt. Errat qui levioribus etiam præsidiis ignoti morbi suscipit curam; minimè, qui vitæ conservandæ gratiâ, extremis morbis, extrema (ut lex est) adhibet remedia; sed cum delectu: Neque enim unum uni, nec omni: cùm nec unus homo, necdem status. Verus is Medicus qui morbos omnes cognoscit ad unguem; nam præsentes summovet, præcavet imminentes, & futuros, nec non illorum exitus prospicit. Sed cùm nullius rei certa possit haberi cognitio, cujus causa & origo ignoratur: necesse est illum, tam generales, quàm particulares morborum causas intelligere: quibus neglectis, neque morbi natura innotescet, neque ejus recta curatio poterit institui. Cujusvis autem morbi tanta est magnitudo, quantum à naturali statu recedit: hinc morbi parvi, magni, qui tales aut per se, vel quia viribus sunt superiores. Sed tribus metienda morbi magnitudo, ex propriâ essentiâ, partis affectæ præstantiâ, & facultate corpus gubernante: sic ratione cacoëthiæ, morbus toto genere calamitosus: sic aliquando tam vehementer ingravescit, ut plenus fiat periculi; sic viribus non nunquam humorum copiâ obrutis redditur acutissimus: sic denique affectus cordis, hepatis, cerebri, magni partis affectæ dignitate. Vno verbo morbus ille magnus existit qui sævis & gravibus symptomatis ægrum exercet, aut quovis alio modo vires non solùm Naturæ, sed & vulgaris artis superat.

VETERES Æsculapium pinxêre barbatum, ut in Medico multarum rerum usum & experientiam requiri notarent. Nihil enim est Medicinæ scire præcepta, nisi ad usum revocare possis: nihil legisse juvat, nisi mente conceperis: nihil concepisse, nisi tempore sciveris usurpare. Per varios usus artem experientia fecit, ex ipsâ proficiscuntur omnis artis & scientiæ principia; ratio magni sanè momenti in arte medicâ, sed experientia mater est prudentiæ. Non post rationem inventa Medicina, sed post inventam Medicinam ratio quæsita. Ars & ratio sine assiduitate medendi haud multùm juvant: Medicos volo, non qui de arte differere tantùm possint, sed qui in ejus usu se exercuerint; non qui plus legit, aut uberiùs disserit, Medicus debet censeri: sed qui pluribus ægris adfuit, & præfuit. Vix experientia videtur differre ab arte, & sæpè videmus expertos magis id quod intendunt consequi, quàm illos qui rationem absque experientiâ adhibent. Operibus ergo sit potens Medicus, non verbis: multùm legat, non multa; & ita se exerceat, ut si non prosit, saltem non noceat, nihil agat sine consilio. Qui suo marte omnia gerit, superbus magis quàm sapiens est. Quod tu non nosti, fortassè novit ocellus. Vis consilij expers mole ruit suâ; quæ cautè atque consultè geruntur, satis prosperè eveniunt, quæ impedita sunt, expediuntur consilio: Si quid ergo te moretur, consulito: ubi consulueris, maturè facto est opus. Sciastamen præceps consilium neque revocari, neque in integrum posse restitui. Vt non erres, aberrare te posse credideris: nec adeò tuæ sententiæ sis tenax, ut sequi nolis meliorem.

IS tantùm rectè curaturus est, quem morbi causa non fefellerit, eâ cognitâ, facile est convenientia reperire remedia, quæ morbo debent accommodari, & datâ occasione, atque opportuno tempore exhiberi. Qui novit morbum, jam penè profligavit: de causâ morbi genus remedij depromit Medicus: sed sedulò observanda morborum tempora, quibus spretis, salutaria solent fieri pestifera. Verùm quàm dura est eorum conditio qui in dandis consiliis & in gerendis rebus versantur: cùm eorum fides ex eventu soleat æstimari præsertim in Medicinâ, ubi perpetuum est quod fieri debet, non tamen perpetuum quod sequi expediret. Medentis officio riè defungitur qui ad omnes morbos parata habet auxilia; ita tamen ut remedium, qualecunque sit, respondeat morbo: ut ficuti mitiores morbos mitibus profligamus præsidiis, mediocribus mediocres, ita extremis morbis (quales vocat divinus Senex μέγιστα νοσήματα) extrema adhibeantur remedia. Quæcunque in adversarium debellandum diriguntur, vi polleant oportet superante hostile robur; nec á levibus tunc incipiendum auxiliis, id liceat in morbis in quibus non adest periculum: at ubi mortis proximè impendet metus, à ratione alienum est à minoribus inchoare. Non potest vehementi malo nisi æquè vehemens auxilium succurrere, nusquam graviora mala cedunt parum agentibus; par est in valdè acutis eâdem die si materia turget medicari, cessare in talibus, malum. Sic Medicus in levibus vitiis tentare debet non multum ex quotidianâ consuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem mutatâ vitæ dispositione firmare: proximum est ut modus proficiat, si modus vel ordo non proficit, subducit adhuc aliqua & circumcidit, si nec adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentiâ corpus exonerat: Si fruſtrà molliora cesserunt, ferit venam, membrisque si adhærentia nocent & morbum diffundunt, adhibet manus; nec ulla videtur dura curatio, cujus salutaris speratur effectus.

DIÆTA apud Medicos bifariàm sumitur, pro ratione victûs qui in cibo & potu suscipitur: generaliùs pro debitâ administratione rerum non naturalium in quantitate, qualitate & utendi modo: tenuis est, plena, vel media. Quosdam ægros si à cibo abstinere jusseris, restitues sanitati: in aliis fruſtra abstinentiam interponas, nisi & aliundè advoces opem, manuque ac potentissimis medicamentis pugnes. Aliquem vox repentè deficit, aut prehendit apoplexia, paralysis, convulsio, angina, cruenta vomitio, tempus perit, in morâ periculum, si rem geras levioribus armis. Quid in his præstare potest Diæta sola? quid adferre emolumenti? Statim & prout quisque affectus postulat vacuandum, educendus sanguis ad animi usque deliquium, adhibenda vincula, cruentæ curbitulæ, ferrum candens, properè alvus movenda, ciendus si par est vomitus, validis denique agendum purgantibus: Num ille carnifex qui in his malis solâ utitur Diætâ? Vt superstes sit æger, nihil non movendum, nulli parcendum remedio, cùm Natura ratione humanâ prudentior in morituro sæpè firmis adjuta præsidiis inexpectatos præstet eventus. In morbis extremis qui ferè magis onere quàm virium infirmitate nocent, breve datur spatium, intrà quod nisi tollantur, tollunt ipsi laborantes, quibus alia salutis ratio non est, & quæ unica videtur, eaque dubia, necessarium adversùs pericula ire. Satius anceps remedium experiri quàm nullum: præstantius aliquid etiam dubio cum periculo aggredi, quàm certâ pernicie cessare. In ultimo vitæ statu non rarò fuit reddita salus: sic nautæ facto naufragio collisâ navi solâ tabulâ reperêre salutem.

QVI legit Hippocratem aut cæcus est, vel fateri debet τεχνικὸς vocabulum triplex Medicum auxilium involvere, ad Chirurgiam & Pharmaciam peculiariter pertinere, & de solo victu nusquam venisse intelligendum. Benè ergo divinus Senex extremis morbis extrema imperat remedia, & in hâc aphoristicâ sententiâ per τεχνικὸν, non modò rationem victûs intelligit, sed & pharmaca præsertim & Chirurgiam: per extremos morbos, maximos quibus alij nulli sunt acutiores, quos si non sanent medicamenta, sanat ferrum; si non ferrum, ignis; & cùm morbus recessus sit à Naturâ, curatio reditus ad Naturam: si in extremis morbis recessus à medio ad alterutrum extremum, extremus sit: eorum sanè curatio debet esse extrema. Sic in extremis morbis copiosa venæ sectio, potentissimum catharticum, in gangrænâ ustio, amputatio. Lenta quidem, levisque curatio esset optanda, sed eâ invalescit & exasperatur vehementior morbus. Qui longo tempore contractus fuerit debellandus lentè, qui brevi breviter: ut creationis, sic curationis paria sint quodam modo temporum momenta. Sed ne quod fiat peccatum, æstimandæ vires, nullam quippè vacuationem prosternere ferunt; tum de remedij genere videndum; non semper eò convenientius quò simplicius. Cave nova damnes præsidia priscis persæpè potiora. Hæc ætas longè perspicacior multa invenit quæ antiquis erant incognita. Longo tempore quæsita sæpè reperiuntur fortuitò: sic purgantium medicamentorum & alexipharmacorum vis cognita: sic stibium meritò inter purgantia, non deleteria, sed salutaria reponitur. Quid tu deleterium judicas? Non errat qui receptam ab omnibus servat legem. Nihil habet veneni novitas; plura metalla (quæ Natura cùm abdidit, non suppressit ut noxia, sed ut rariora, & majoris virtutis) admota & intùs suscepta nostris visceribus nullatenùs sunt inimica: Stibium maximè in pluribus morbis Regium & celebre remedium, tuta anchora quæ è faucibus Orci ægros sæpiùs revocat. Mercurius certum reis impuræ Veneris præsidium; quidquid ore viperino effutiant aut rancitent adulteri illi Dogmatici & personati atque ementiti Patricij, qui medicamenta cum delectu agere contendunt, & ex solis plantis eligunt purgantia; licèt in multis vis deleteria major sit quàm in ipso Hydrargyro, Stibio, *quod congregatâ Senatûs Consulto Facultate Parisiensi, Doctorum nonaginta duorum calculo, astantibus integerrimis Senatoribus, uno duntaxat pugnante, probatum fuit, inter purgantia numeratum, atque solemni Supremæ Curiæ Decreto* 10. *Aprilis* 1666. *lato, confirmatum.* Sed remediorum modum & opportunitatem scire & captare ignaris & inexpertis ignotum: proprium viris doctis, atque expertis arcanum. In omnibus tamen necquidquam faciendum invitâ Naturâ: Hanc omni tempore advoca in consilium, cujus nutu ac imperio non sola Diæta, sed extrema extremis debentur remedia.

Non ergo extremis Morbis sola Diæta.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Asserebat Parisiis HENRICVS MAHIEV, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.